

SUPREMUM SUGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 34450/03 CG

N seu NN

Nullitatis matrimonii

(X - Y)

Querelae nullitatis adversus sententiam def. d. 22 novembris 2002;

Recursus adversus decretum in Congressu diei 26 maii 2004 latum, quo querela nullitatis reiciebatur

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno I, die 30 aprilis 2005, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Augustino Card. Cacciavillan et Sergio Card. Sebastiani Exc.misque ac Rev.mis D.nis Augustino Vallini, *Praefecto*, Eduardo Davino, *Ponente*, et Xaverio Echevarría Rodríguez, intervenientibus in causa Cl.mo C. Gullo, utpote Partis conventae recurrentis Patrono, Cl.mo M. Musumeci, tamquam Partis actricis Patrono, Rev.mo I. P. Montini, Defensore Vinculi, et Rev.mo F. Daneels, o.praem., Promotore Iustitiae, in causa de qua supra hoc tulit

DECRETUM DEFINITIVUM

I. FACTI SPECIES

1. Die 5 decembris 1987 Z matrimonium celebrarunt D.nus X, undequadraginta annos natus, et D.na Y, triginta et unum annos nata, ambo publici notarii.

Mulier iam antea matrimonium contraxerat, quod vero mox naufragatum dein utpote ratum non consummatum a Summo Pontifice solutum erat.

Matrimonio celebrato, D.nus X et D.na Y tantum in fine hebdomadae simul erant, in regione W nempe, id est apud maritum. Difficultatibus autem mox ortis, separatio de facto instituta est post paucos menses. Vir dein exeunte anno 1988 (ita sententia primi gradus) adiit T.E.R.: N, a quo die 15 ianuarii 1992 lata est sententia definitiva in prima instantia pro nullitate matrimonii “ex can. 1098 a causa del dolo col quale la convenuta ha prestato

il suo consenso matrimoniale”; quoad capita vero subordinate concordata, scilicet “ex can. 1097, §2 per l’errore ... sulle qualità della convenuta ... «directe et principaliter» volute” necnon “ex can. 1102, §2 per non essersi verificata la condizione «de praesenti»” ex parte viri actoris consensui apposita, sententia statuit: “iam provisum in primo”.

Turnus vero Rotalis coram M die 22 martii 1996 sententiam primae curae infirmavit, declarans “non constare de nullitate matrimonii in casu ex ullo capite adducto”.

Appellante viro actore, Turnus Rotalis coram [...], partibus denuo interrogatis, die 19 octobris 1999 decreto suo non admisit probationem a Cl.mo mulieris conventae Patrono petitam, scilicet ut peritia fieret circa paternitatem pueruli a muliere post separationem progeniti.

Instante eodem Cl.mo Patrono Exc.mus Decanus dein, auditis duobus Rev.mis Praelatis Auditoribus Senioribus, Turnum auxit, causam scilicet quinque Auditoribus committens.

Cl.mus vero Patronus viri actoris exinde instituit ut Turnus coram quinque in primis videret de propria absoluta incompetentia. Cum Rev.mus Ponens quaestionem ad disceptationem admiserit, per memorialia solvendam, Cl.mus partis conventae Patronus ad H.S.T. provocavit, quod vero die 19 novembris 2001 quoad assertam incompetentiam Turni decidendi super legitimitate vel minus decreti Exc.mi Decani statuit “considerari non posse, ideoque non considerari” et die 28 februarii 2002 “locum non esse recusationi Auditoris”, scilicet Rev.mi [...].

Die tandem 22 novembris 2002 lata est decisio in tertio iudicii gradu affirmativa, “seu constare de matrimonii nullitate, in casu, dumtaxat ex capite conditionis a viro adpositae sed non impletae”. Quam sententiam iudices declaraverunt “aequivalenter conformem cum decisione affirmativa primi gradus ideoque exsecutivam quoniam prima et altera decisio iisdem innititur factis iuridicis etsi diversa sub luce conspectis”.

2. Quam adversus decisionem, die 22 februarii 2003 publicatam, Cl.mus Patronus conventae, triplicem proposuit impugnationem, scilicet a) recursum ad Turnum Rotalem Superiorem super quaestione de conformitate aequivalenti sententiarum primi et tertii gradus, b) querelam nullitatis coram H.S.T. ob ius defensionis denegatum, c) petitionem N.C.P., ob assertam causarum conexionem item coram H.S.T. exhibitam.

Exc.mus vero H.S.T. Secretarius die 21 maii 2003 decrevit: “ab hoc Supremo Tribunali querelam nullitatis propositam tantum examinandam esse”.

SUPREMUM SUGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Exhibitis a Cl.mo Patrono viri actoris, memoriali die 21 iunii 2003, et a Rev.mo Defensore Vinculi Substituto die 27 octobris 2003 animadversionibus pro vinculo, Rev.mus Promotor Iustitiae die 19 februarii 2004 votum pro rei veritate prompsit. Responderunt tandem Cl.mus mulieris conventae Patronus die 4 martii 2004, Rev.mus Defensor Vinculi Substitutus die 5 martii 2004 et Cl.mus viri actoris Patronus die 14 aprilis 2004.

Quibus praehabitis, Exc.mus Praefectus, in Congressu, die 26 maii 2004 habito, decrevit: “Propositam quaerelam nullitatis adversus sententiam rotalem coram [...], diei 22 novembbris 2002, reiciendam esse et de facto reici”.

3. Cl.mus autem Patronus partis conventae tunc provocavit ad Collegium Em.morum et Exc.morum H.S.T. Iudicum et memoriali diei 8 iulii 2004 motiva recursus exhibuit.

Obtentis animadversionibus Rev.mi Defensoris vinculi deputato et praehabito voto pro rei veritate Rev.mi Promotoris Iustitiae, quaestio nunc examinanda proponitur haec: **An decretum Congressus, die 26 maii 2004 latum, quo querela nullitatis reiecta est in casu, reformatum sit.**

II. IN IURE ET IN FACTO

4. Edicit can. 1620: “Sententia vitio nullitatis insanabilis laborat, si:

... 7º ius defensionis alterutri parti denegatum fuerit”. In iurisprudentia Nostri Apostolici Tribunalis proinde saepe agnitus est sententias iudiciales irritari ob ius legitimae defensionis alterutri vel utriusque parti denegatum.

Id tamen non putatur accidere ob quodlibet vitium processuale, sed solummodo cum substantialis defectus verificetur, propter quem negata sit omnimodo possilitas sese defendendi. Agi igitur debet non de iure defensionis violato, sed de ipso iure denegato (cf. Mutinen, sententia def. coram Sabattani d. 17 ianuarii 1987, n. 13, prot. n. 15301/83 CG).

Non inutiliter ad rem revocantur verba Ioannis Pauli II, veneratae memoriae, qui in allocutione ad Romanam Rotam, die 26 ianuarii 1989 habita, ita docuit: “Il diritto alla difesa di ciascuna parte nel giudizio, cioè non soltanto della parte convenuta ma anche della parte attrice, deve ovviamente essere esercitato secondo le giuste disposizioni della legge positiva il cui compito è, non di togliere l'esercizio del diritto alla difesa, ma di regolarlo in modo che non possa degenerare in abuso od ostruzionismo e di garantire nello stesso tempo la concreta possibilità di esercitarlo. La fedele osservanza della normativa positiva al riguardo costituisce, perciò, un grave obbligo per gli operatori della giustizia nella Chiesa” (AAS 81 [1989] 923).

5. Contendit Cl.mus conventae Patronus – uti adnotat impugnatum Congressus decretum, sub n. 3 – ius defensionis violatum esse:

a) quia possibilitas conventae data non esset praesentandi ne unam quidem probationem;

b) id est, cum Turnus rotalis coram A recusaverit petitam iubere peritiam super paternitate pueruli a muliere conventa post separationem progeniti;

c) etsi in impugnata sententia definitiva filiationis seu paternitatis quaestio de facto conclusiva evasisset pro nullitate;

d) laesa quoque esset paritas, quae inter partes vigere debet, cum documenta a viro actore in tertio iudicii gradu exhibita admissa fuerint, et mulieri conventae recusata sit petita peritia.

Quibus querelis Congressus decretum validis quidem animadversionibus respondit.

6. Post ea quae in iure fundimus, iam a limine, dicendum est recte Congressum propositam nullitatis querelam reieciisse, cum in casu minime de denegato defensionis iure, sed de eius recto usu agatur.

Revera, cardo totius quaestionis sistit in denegata peritia ex officio, a conventa petita in tertio iurisdictionis gradu, quam peritiam, bene adnotetur, et ipsa conventa practice iam recusaverat in Aula civilis tribunalis, cum nollet coram perito sistere, una cum filio. Adducta, ceterum, non sunt pro muliere conventa elementa positiva probationis, quae opportunitati peritiae ex officio exquirendae faverent, uti peritia extrajudicialis vel privata et indicatio loci ubi tempore conceptionis filii congressus cum actore habitu essent, ad eiusdem conventae thesin in re paternitatis filii probabilem reddendam.

Ad rem, recte, duo adnotavit Congressus decretum:

- “Secundum can. 1639, §2, in gradu appellationis novae probationes tantum ad normam can. 1600 admittuntur, id est in causis NM «auditis partibus et dummodo gravis extet ratio» (can. 1600, §1, 2º) vel «quoties verisimile est, nisi probatio nova admittatur, sententiam iniustam futuram esse propter rationes, de quibus in can. 1645, §2, 1º-3º» (*ibid.*, 3º), salva autem eiusdem can. §2, quam penes potest «iudex iubere vel admittere ut exhibeat documentum, quod forte antea sine culpa eius cuius interest, exhiberi non potuit»”(in Congressus decreto, sub n. 4).

- Et adhuc: “Iudicis est, praeter casus in quibus peritia ipso iure praescribitur, decernere utrum opera peritorum ad factum aliquod comprobandum requiratur, necne (cf. can. 1574); in gradu appellationis

SUPREMUM SUGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

praeterea, uti modo dictum est, ad rem p[re]ae oculis habendi sunt cann. 1639, §2 et 1600, §1, 1^o-3^o” (*ibid.*, sub. 5^o).

Quibus animadversionibus nihil valide opposuit Cl.mus conventae Patronus, frustra recurrens ad assertam denegatam paritatem actorem inter et partem conventam.

Nullibi, enim, ex actis constat conventam prohibitam esse et in genere valide se defendere et in specie peritiam exhibere extrajudiciale quoad filii paternitatem.

Ex actis solummodo constat unam peritiam ex officio a iudice, iuxta processuales normas, recusatam esse.

Quae adhuc magis valent si p[re]ae oculis habeantur ea quae in Decreto, de quo, affirmantur, scilicet: “Sententiae civiles ad quas impugnata sententia coram [...] refert, non solam quaestionem paternitatis respiciunt, immo, quatenus facta in processu civili peracta referunt, haudquaquam nullius valoris sunt, etsi interdum eis minus feliciter etiam in foro canonico vis rei iudicatae attribui videtur” (*ibid.*, sub n. 6).

7. Quod denique attinet ad momentum petitae peritia ex officio peragendae duo adnotanda veniunt.

Praeprimis memorandum est paternitatem filii, post separationem geniti - quamvis haec quaestio utique momentum habeat ad credibilitatem partium in causa ponderandam -, non exstisset obiectum canonicae causae quae una agere debuit de matrimonii nullitate, in casu.

Dein, contra id quod tenet Cl.mus conventae Patronus, iure meritoque haec edixit Congressus decretum: “Turnus coram [...] decreto diei 14 octobris 1999, quo petitam peritiam iubere recusabat, iam tenuit quod: «Neque praevisa vel hypothetica subversio conclusionum primae sententiae civilis substantiam quaestioni nunc sub iudice immutare directe potest, cum pluribus ex fontibus adsint facta et probata respicientia... nullitatis capita» (n. 12), immo ita conclusit: «... tenent Patres comprobationem paternitatis non esse obiectum directum quaestioni hac in instantia diluendae neque directe cohaerere cum quaestione de asserto consensu matrimoniali conditionato vel erronee vel dolose praestito, vel quia circumstantia legitimatis vel illegitimitatis progenitae prolis super qua petitur probatio peritalis tempore postnuptiali exsistit» (n. 18)” (*ibid.*, sub n. 5).

Non sustinetur igitur mulieris conventae querela de denegato sibi iure defensionis et exinde de sententia, quae vitio insanabilis nullitatis ex can. 1620, 7^o, laboraret.

III. CONCLUSIO

8. Quibus omnibus in iure et in facto sedulo examinatis ac cibratis, Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum, pro tribunali sedens et solum Deum p[re] oculis habens, Christi Nomine invocato ad propositam quaestionem respondendum censuit uti respondit:

NEGATIVE, seu Decretum Congressus, die 26 maii 2004 latum, quo querela nullitatis reiecta est in casu, non esse reformandum.

Pro expensis iudicialibus retinetur cautio apud arcam H.S.T. deposita. Pars conventa Recurrens suo Cl.mo Patrono congruum solvat honorarium.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hoc Nostrum Definitivum Decretum exsecutioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Et notificetur.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 30 Aprilis 2005.

(Signati)

Augustinus Card. CACCIAVILLAN
Sergius Card. SEBASTIANI
+ Augustinus VALLINI, *Praefectus*
+ Eduardus DAVINO, *Ponens*
+ Xaverius ECHEVARRÍA RODRÍGUEZ

Notificetur.

Die 26 septembbris 2005.

+ Velasius DE PAOLIS, C.S., *Secretarius*

Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Cancellariae Moderator*